Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertatio Inauguralis Iuris Publici De Coexercitio, Sive Simultaneo Utriusque Romano-Catholicae Ac Evangelicae Religionis Exercitio Licito Ac Illicito

Schweder, Gabriel
Burgermeister von Deizisau, Gabriel Franz

Tubingae, 1727

VD18 11378891

Thesis XVI.

urn:nbn:de:bsz:31-130851

Visual Library

Privatis, aut in Teſtamento, aut Pacto vel Conventione, alienatio ſit interdicta.

Theſis XVI.

Sed ut plura, quæ de Materia hac adhuc afferri poterant, paucis complectamur, dicimus cum Authore Scripti: **Ungrund des ſo genannten** Simultanei; quod exhibetur **in der Europäiſchen Staats-Cantzley** *Part. XXXV. Cap. III. pag. 410. ſeqq.* ex Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ luce meridiana clarius eluceſcere, quod contra obſervantiam Anni reſpective 1618. vel 1624. prout quis nempe vel ex capite Amneſtiæ, vel ex capite Gravaminum reſtitutus, Simultaneum ſeu Coëxercitium nullo modo Evangelicis obtrudi, conſequenter Romano-Catholica Sacra nullibi introduci queant, ubi dictis annis non viguerunt, niſi fiat mutuo & libero utriusque Partis conſenſu; ac proinde etiam Princeps Romano-Catholicus Subditis ſuis Evangelicis 1. non poſſit imperare, ut vel Dies feſtos celebrent, quos neque Anno Decretorio feriari conſueverunt, neque ut celebrentur, ipſorum Religio admittit; neque 2. iis injungere valeat, ut coram Venerabili ſibi obviam facto in genua procidant, illudque comitentur, vel aliud quid pro illius veneratione faciant aut agant; nec 3. adigi queant, ut ſolennes Proceſſiones ſequantur, vel inſtitui permittant, ubi antiquitus non permiſſæ fuerunt; neque 4. cogi valeant, ut permittant Publicum Religionis Romano-Catholicæ Exercitium in Regione de novo introduci, ubi antea non fuit; vel 5. ad id nova Templa exſtrui; aut 6. Numerum Perſonarum religioſarum augeri; vel 7. Sanctorum Imagines hinc inde

de collocari; 8. Scholas aut Monasteria erigi; nec 9. habeat potestatem, Subditos suos Evangelicos ab officiis & muneribus publicis excludendi, ad quæ vel ipsi solum, vel juxta Catholicos dictis annis admissi; multo minus vero 10. subditis Evangelicis sua Templa, Oratoria, Hospitalia auferre valeat, sub prætextu, quod sint devastata, aut ab omni Religionis Exercitio vacua, vel quod Catholici iisdem pro Sacris suis indigeant; nec 11. Ipsos reditibus, censibus, decimis, pensionibus ipsorum Evangelicorum Ecclesiis, earumque Ministris, Parochiis, Scholis, Eleemosynis, Hospitalibus dicatis, ac annis decretoriis possessis, vel in totum, vel in tantum privare queat; neque 12. ipsis injungere possit, ut exercendis Catholicorum Sacris intersint; vel 13. Liberos suos in Catholicorum Scholas mittant, Catholicisque Præceptoribus instituendos committant. &c. His omnibus libertati conscientiarum & libero Religionis Evangelicæ Exercitio oppidò vis infertur, statusque annorum regulativorum manifestò alteratur & mutatur, quod Paci Westphalicæ è diametro contrariatur.

Thesis XVII.

Ad majorem Præmissorum Fidem & Confirmationem subjungam elegans Serenissimo Terrarum harum Domino ac Duci, Nutritio Corporis hujus Academici Clementissimo, ab Inclyta Facultate Juridica Illustris hujus Eberhardinæ impertitum Responsum à Magnifico Domino Præside, Avo meo honoratissimo, qui Author ejus, communicatum, quod haud ingratum fore confido, estque tenoris sequentis:

Durch-